

O quot illustres animæ nefanda
 Monstra Calvinî domuere, gentem
 Labe tam dira prohibere fortes
 Sceptraque regni !

Quo feror ? tempus redit auspicatum
 Prisca quo virtus animis calescat.
 Ecce, Remensis ciet atque adurget
 Corda triumphus.

Gallicæ gentes, iubaris vetusti
 Ne quid obscuret radios, cavete ;
 Neve suffundat malesuadus error
 Mentibus umbras.

Vos regat Christus, sibi quos revinxit ;
 Obsequi sectis pudeat probrosis ;
 Occidat livor, sociasque in unum
 Cogite vires.

Sæcla bis septem calor actiosa
 Perstitit vitæ, renuens perire :
 Currite ad Veslam (1) : novus æstuabit
 Pectore fervor.

Dissitis floret magis usque terris
 Gallicum nomen : populis vel ipsis
 Adsit Eois, Fideique sanctæ
 Vota secundet.

Nil Fide Christi prius : hac adempta
 Nil diu felix. Stetit unde prisca
 Summa laus genti, manet inde iugis
 Gloria Gallos.

LEO XIII.

(1) Flumen alluens Remos, ubi rei Christianæ apud Francos dedicata sunt initia.